tibus denarii, atque in 6 & 4 eiusdem totius partibus. Hic angulus *lmn* bisecatur per *em* per 47 & 8 p 1, ipseque cum angulo *len* æquatur duobus rectis, quia duo reliqui oppositi ad *l* & *n* recti: idem *len* per 13 p 1, perque 1 ax. cum angulo *sen* æquatur duobus rectis: Itaque & bisegmenta æqualia. Quare triangula *ose* & *elm* sunt æquiangula, ideoque similia per 4 p 6, oblongumque extremorum *os* & *ml* ęquatur oblongo mediorum per 16 p 6. Atque ut quadratum ex *os* ad rectangulum extremorum, id est mediorum, sic perpendicularis *os* ad rectam *ml*. Recta enim est ad rectam, ut quadratum alterius ad rectangulum utriusque per 1 p 6, sic item *as* ad *al*. Oblongum igitur extremorum æquatur oblongo mediorum, id est plano trium differentiarum. Atque vterque planus multiplicatus per semiperimetrum facit duos iterum planos æquales. Hic rursus planus differentiarum multiplicatus per semiperimetrum, & planus é quadrato perpendicularis & semiperimetro per semiperimetrum est planus é quadrato perpendicularis & é quadrato semiperimetri. At planus é duobus quadratis ęquat quadratum ex area trianguli. Nam si triangulum sumatur æqualis tum basis dati trianguli perimetro, tum altitudinis perpẽdiculari æquabit per 1 p 6 datum triangulum: itemque parallelogrammum æquealtum & basis dimidię: quod ipsum erit medium proportionale per 1 p 6 inter quadrata suorum laterum. Itaque multiplicare hæc duo laterum quadrata est quadrare datum triangulum, eiusque quadrati latus erit area dati trianguli. Hæc igitur demonstratio Jordani & Tartaleæ egregiam suorum authorum in mathematicis intelligentiam demonstrat, at vellem etiam egregiam logicam una demonstraret.

SCHOL. MATHEM. FINIS.

Errata